

P R O G R A M M A
D E
L O C I S S A C R A E S C R I P T V R A E
P A R A L L E L I S
S E C T I O I I .

Q V O
E X A M E N
A. D. VIII. APRIL.
I N S C H O L A S E N A T O R I A
C V M D I S C I P L I N A E S V A E A L V M N I S H A B E N D V M
N E C N O N
D E C L A M A T I O N E S Q V A S D A M
A. D. X. APRIL. R E C I T A N D A S
I N D I C I T
V T Q V E
H V N C A C T V M P R A E S E N T I A S V A H O N O R I F I C A
C O N D E C O R A R E V E L I N T
O M N E S L I T T E R A R V M M A N S V E T I O R V M
M A E C E N A T E S
R E L I G I O S E O B S E C R A T
M. G V I L I E L M. T H E O D O R. C A R O L. A L B E R T I
S C H O L A E S E N A T O R I A E H E L M S T A D I E N S I S R E C T O R C O E N O B I I
M A R I A E V A L L. S V B P R I O R E T S O C I E T A T I D U C A L. T E V T O N.
H O N O R I S C A V S S A A D S C R I P T V S.

* * * * *

H E L M S T A D I I I
T Y P I S M I C H A E L I S G V N T H E R I L E V C K A R T.



SECTIO II

DE REGVLIS, QVIBVS LOCI PARALLELI RITE DEBEANT COMPONI.

§. I.

Prooemium.



QVAM nuperime, quum ad obtinendam in alma hac Musarum sede scholas instituendi facultatem publice defendenda e rostris dissertatio esset, formulis typographicis imprimendam curaueram de *Loci Sacrae Scripturae parallelis* commentationem, de ea iam vberius pro virili exponere, ipsa instituti ratio, pro eo, ac promisi, suadet. Conferre maiora in hunc laborem studia eo minus dubitau, quum, quae tamquam huius argumenti proflusionem in lucem edere suffinueram, non plane displicuisse viris eruditis, iucunda constaret experientia. Descripsi autem prima in sectione, et in iustum, vt mihi videbatur, redigere ordinem conatus sum omnia, quae demum cumque cogitari possunt, Parallelismi genera. At enim vero, omnem hanc translationem genuino Scripturae sensui eruendo parum inferuit-

III

ram, facile perspiciebam, nisi totus in legibus faniendis essem, quibus similium Sacri Codicis locorum compositiones curate diligenterque essent accommodandae. Quas quidem eo magis in hac disputatione vtramque facere paginam ratus sum, quo saepius solet accidere, ut, qui earum minus curam habent, peruerse illam dictorum collationem instituant, grauibus nonnumquam erroribus seducantur, et tantum non ubique labantur. Illas itaque leges, quotquot ex ipsa Parallelismi natura sponte profluant, seruato quidem eodem, qui in prima sectione obtinet, ordine de singulis τῆς συμφωνίας generibus iam iam tradere, apud animum constitui. Quas si vel melius endandas, vel plures illis grauioresque addendas alii putabunt, eo certe benevolentiae documento, dummodo mecum eas humanissime sint communicaturi, habebunt me longe obstrictissimum, quippe cui persuasum maxime est, vel eo haut leue huic instituto emolumentum esse accessurum.

§. II.

Regula generalior, Parallelismum in versionibus Scripturae obium specans.

IN QVI RENTI mili saepenumero, vnde tandem magnus ille locorum parallelorum prouentus, qui merito suspecti et sunt et habentur, sit ortus, latere inter alia praecipue in variis, quae exstant, Scripturae versionibus caussam, comperatum est. Qua re adductus, vniuersalem hanc regulam, eamque omnibus omnino Parallelismi modis aequre conuenientem, stabiliendam primoque loco ponendam duxi, ut scilicet, *quotiescumque locorum Sacrae Scripturae cum aliis comparatio instituatur, numquam ea solum ex versionibus, nulla textus, ut aiunt, originalis habita ratione, dijudicanda sit.* Enascitur haec ipsa lex, quod cuique eius rei haut prorsus experti facile patebit,

patebit, ex singulari linguarum natura atque indole. Ita enim comparatae omnes sunt, ut quae in altera, siquidem verba solum species, conuenire apte videantur, in altera longissime distent, totoque caelo differant. Solet id, ut alias permultas huius rei caussas taceam, plerumque tunc euenire, quum voci cuidam ex ipsa scriptoris mente aut sua quoque in loco variae que omnino respondeant notiones, aut alia prorsus cum ea vocabula, at eadem vi praedita, consentiant. Qua vero in re, qui eiusmodi scriptum interpretari alio sermone sibi sumunt, dum parum caute versantur, nosmet ipsos, nimis eorum fide fretos, vna secum in deuia temere abripiunt, adeo, ut aut dictorum qualemcumque consensum inuenisse ibi nobis videamur, ubi prorsus non adeit, aut absque consilio omittamus, ubi tamen neutiquam erat negligendus. Sic, ut rem exemplo quodam insigniori illustrem, multus est Dauides in usurpanda voce: **תְּשַׁמֵּשׁ**, adeo vero, ut diuersus, pro varia adiunctorum ratione, ei insensus, et modo *iudicium, iustitiam* modo, modo *normam iudicandi* denotet. Quam vero vocem quum diuus ille Luthe-
rus vbiique fere locorum per teutonicum illud: *Gericht*, fuerit interpretatus, falso inde in versione nostra Parallelismum quemdam exoriri, perspicuum est. Et sane quoque, si fatendum, quod res est, magna illa Parallelorum spuriorum turba et colluicio inde profluxit, quibus pleraque bibliorum teutonicorum editiones redundant, Concordiarum patrio quidem sermone conscriptarum haut paucae in altam rudemque molem surrexerunt, et orationum denique sacrarum non exigua pars tumescunt. Iunerit, quaedam saltem huius rei exempla notasse. Hac ratione dicto in Epist. Pauli ad Ephes. VI, 12. obvio: *εἰς ἡμῖν οὐ πάλιν πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, non est nobis pugna cum sanguine et carne,* tamquam parallelum in versione adscriptum inuenio Gal. I, 16. *εἰς προσταρθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι, non contuli*

cum carne et sanguine; qui tamen loci, quomodo inter se conserui inuicem possint, nullus equidem perspicio. Prostata quidem, fateor, in utroque, si versionem spectas, germanicum illud: *Fleisch und Blut*, at cui in textu ipso diuersus omnino sensus conuenit. In priori enim, mea quidem sententia, nihil eo aliud, nisi *homo*, vt ut est, *infirmus ac debilis* insignitur; in posteriori vero, quod statim in promptu est, *prauae animi cupiditates* indicantur. Eodem fere modo neutiquam omnes V. et N. T. loci, in quibus Deus nominibus et encomiis τε ιακοβος και τε αγιος celebratur, paralleli sunt existimandi, quippe quorum alii *santidadem* Dei, ut in scholis Theologorum vocatur, *moralē* describunt, alii vero in efferenda eius *maiestate*, et *augustia magnitudine* versantur, quod quidem tunc obtainere praecipue videtur, quem Deus ιακοβος ιακωνος *sancius in Israe*l, et mons Sion ab ipso ιακοβος ιακωνος *sancius*, i. e. *augustus, excelsus*, vocatur, ut: Exod. XV, 11. Luc. I, 49. Ps. LXXI, 22. Ief. XLIII, 3. Hos vero locos, quantus quantus demum eorum numerus est, in indigestam quamdam molem in plerisque Concordantiarum voluminibus coaceruatos videmus. a)

§. III.

*Regula specialior, ad Parallelissimum Scripturae externum
sive mixtum pertinens.*

QVAMVIS permagnum omnino esse fructum, qui ex Parallelismo Scripturae externo, cuius veram in prima sectione exposuimus notionem, colligatur, negari neutiquam possit, usus tamen eius vel eo nomine certis quibusdam circumscribendus videtur limitibus, eoque prospiciendum, ne quid nimis, ne quid imprudenter. Huic itaque normae caute accommodetur

omnis

a) cf. e. g. M. GOTTFR. BÜCHNER'S *biblische Real und Verbal*

Hand-Concordanz, Ien. CIOCCCLVI.
in voce: *Heilig.*

omnis illa locorum compositio: *vt verborum potius, quam rerum ratio habeatur.* Ne quis autem forte sinistre hanc legem interpretetur, non omittendum hic duxi, me non earum rerum intelligere collationem, quae ex historia veteri, geographia, et ritibus gentium antiquis deponuntur. Tantum enim abest, *vt inutile hoc eruditorum negotium existimem, parvique pretii,* *vt largissimum potius inde in eruendo Scripturae sensu proflue-* *re vsum, maxime mihi sit persuasum.* Ea contra quisque ar-
gumenta hic mente concipiatur, quae vel ad dogmatum, vel do-
ctrinae moralis ambitum pertinent. Adeo vero in iis ex scriptori-
bus exteris egregie scilicet illustrandis luxuriarunt nonnullorum
ingenia, *vt omnes, quos intra manere eos oportebat, terminos*
temere egredi, non ex illis solum, qui simili, ac litterae sacrae,
sed ex iis quoque, qui alio plane idiomate conscripti sunt, libris
hos illosue Sacrae Scripturae locos reddere clariores sibi sum-
ferint, et vbiq[ue] sere mirum, si Diis placet, sacrorum scribarum
cum profanis auctoribus concentum reperisse personauerint.
Quibus autem, quaequo, rationibus hunc consensum realem
tandem fuffulciant? b) Detrahere mihi potius eo haut parum
diuinae Scripturae auctoritati videntur, quippe cuius auctores
Θεόννεροι, ipsoque Spiritu Sancto impulsi, litteris omnia con-
signarunt, quum profani e contrario scriptores sibimet ipsis re-
litti, sua nobis tradiderint cogitata, sua systemata, quae, quantu-
m opere puriori sacrosanctae religionis doctrinae nonnumquam
repud-

b) Non ille quidem ego sum, qui
realem hunc cum exteris scriptori-
bus consensum plane reficien-
dum putem. At locum illum ha-
bere tum demum proprio suo iu-
re reor, quum ipso Spiritus San-
cti haut obfuso indicio denota-
tur. Clarum huius rei, ut alia
praetermittam, prostat documen-

tum in Epist. ad Tit. I, 10. ubi
effatum de prava Cretensium in-
dole latum: Κρήτες ἀληθεῖσαι,
παντὶ θηρίᾳ, γνωστές ἀργα, Creten-
ses omni tempore mendaces sunt, ma-
lae bestiae, et ventros otioji, ipsilimi-
nis EPIMENIDIS verbis ci-
tatur.

VIII

repugnant, ecquis est, qui nesciat? Quae, quum ita sint, recte sine dubio praecipiunt ii, qui moderate hac in re versari, et verbis potius in eiusmodi Parallelismi genere suadent inhaerere. Hac vero in quaestione quid porro agendum, iam, age, videamus.

§. III.

Regulae in Parallelismo V. T. externo singularim seruandae.

P R O L A T A itaque iam iam lege veluti vniuersali, quae in instituenda dictorum Sacri Codicis cum exterorum scriptorum effatis collatione verba maxime suadet respicere, ea quomodo externo V. T. Parallelismo attemperari optime possit, nunc quoque dispiciamus. Duobus vero his, quidquid huius loci est, potissimum cernitur momentis. Primo quidem: *Ea cum lingua aptissime componitur Hebraicus codex, quae et proxime illi accedit, et cuius plurima supersunt opera.* Deinde: *Numquam absque necessitate, hoc est, tum demum, quum Hebraicus ipse sermo ubericrem interpretandi copiam non amplius suppeditat, alia quaedam lingua, eaque illi simillima, in subsidium vocanda est.* Ad haec profecto praecepta si rite referatur illa dictorum conciliatio, felici admodum successu opus esse processurum, equidem crediderim. Prius vero si consideres, nec nullus mihi, si quid perspicio, sermo accedere proprius ad Hebraici genium videtur, quam *Arabicus*, nec nullus orientalium esse, qui largiori scriptorum prouentu, eo quidem, eniteat. Probe quoque id intellexerunt viri in hoc eruditionis genere clarissimi, dum omnia sua in illud contulerunt studia. At optandum sane nihilominus esset, ne nimis semper huic labori vacarent. Incidunt, si dicere fas est, in hoc vitium, quoties, nulla vrgente necessitate, Hebraica quaque ex Arabicis illustrant. Quoties demum cumque enucleanda Hebraica quaedam vox est, adsciscitur

scitur statim Arabica lingua, quum tamen facili admodum negotio ex sua ipsius copia reddi perspicua posset. Quorsum vero haec? Inane quid agitur, quin (non veremur dicere,) ipsi adeo sensus perspicuitati follicita eiusmodi comparatione haut raro officitur. c)

§. V.

Praecepta in Parallelismo N. T. externo animaduertenda.

PROPOSITIS hucusque legibus, ad quas componendi Veteris Testamenti loci cum exteris scriptorum orientalium monumentis sint, iam quoque de Nouo Foedere praecipere, contentaneum est. Hunc vero in modum statuo: *Non omnes, qui graece aliquid litteris prodiderunt scriptores, promiscue et absque consilio in Noui Foederis interpretatione adhibendi sunt.* Etenim quum ipsum argumentum, in quo tractando nonnulli eorum occupati sunt, vel alienum nimis ab eo sit, de quo exponunt Novi Codicis scriptores, vel alio orationis genere conscriptum, facile cuius qualiscumque huius praecepti ratio constabit. Ex quibus primo quidem loco colligitur, ut *scriptoribus comicis pariter ac tragicis iure hac in re abstineatur.* Eos enim, quum, pro more poetarum ac licentia, singularem plerisque vocibus indiderint vim atque potestatem, non magna hic pollere auctoritate, haut difficile est ad intelligendum. Rectius itaque hanc collationem *cum eiusmodi scriptoribus instituere viri docti suaserunt, qui aut ipsi in nonnullis religionis christianaee argumentis sunt versati, aut certe ab iis non longe absunt.* Quis vero non statim inter hos facile principem, PHILONEM illum ALEXANDRINVM mente ac cogitatione praesumat? Summam

igitur

e) Evidenter diffiteri nequeo, b. ipsum SCHVLTENSIVM, vi-
rū omni laude maiorem, non mi-
fatis sibi semper cauissile, quo mi-
nus anxia scripturae dīctorum ex

Arabicis litteris interpretatione
in obfcuritatis vitium incideret.
Testantur id loci permulti in Com-
mentarij eius in Proverb. Salomonis.

B

igitur omniam consensu laudem promeruit *Vir Sunne Venerabilis Abbas IO. BENED. CARPOV*, qui exinde integros Noui Testamenti libros scite admodum, et illustribus Graecae litteraturae documentis interpretatus est. d) Porro non exiguum in hoc genere utilitatem exferunt omnes, qui gentium, Iudaicae, Graecae et Romanae res gestas et ritus antiquos posteritati tradiderunt, quorum in numero prae reliquis eminent FLAVIVS IOSEPHVS, POLYBIVS, alii. Singulares certe eam ob causam iis debentur gratiae, qui doctis ex illis scriptoribus observationibus depromptis Nouo Foederi insignem affundere lucem studuerunt. Et quem fugiunt Viri in hoc litterarum genere praestantissimi, IO. TOB. KREBSIVS, e) IO. BAPTIST. OTTIVS, f) GEO. WILH. KIRCHMAIERVS, g) vt de aliorum laboribus, e. g. EL. PALAIRET, h) nihil dicam. Optime denique huic rei consulere ii mihi videntur, qui verbalem illum N. T. Parallelisimum ex versione τῶν LXX promere sustinuerunt; id quod, quamuis non felici omnino Marte, tentauit, quippe princeps hanc viam ingressus, ΚΛΥCHENIVS. i) Qua vero conciliatione, quum amice adeo à LXX cum Noui Codicis scriptoribus conspirent, quid utilius esse, quid grauius potest?

Equi-

- d) in *Sacris Exercitati. in S. Pauli Epist. ad Hebr.* (Helmfst. C1010CCL.) et in *Eusebium Scripturis theolog. et critic.* in *Epist. S. Pauli ad Roman.* (Helmfst. C1010CCLVIII.)
 e) cf. *Eius Observatt. in Nou. Testam. e FLAV. IOSEPHO* (Lips. C1010CCLV. 8.) Neque omittendum hoc loco est *Eusebium de usu et praefantia Roman. Historiae in Nou. Testam. interpretatione libellus* (Lips. C1010CCLXLV. 8.) Non minor denique usus expectandus est ex illa, quam edere promisit *Vir Celerissimus, Critica curarum pbitol.* et
 critic. IO. CHRISTOPH. WOLFI.
 f) cf. *Eius Spicilegium s. Excerpta ex FLAV. IOSEPHO ad Nou. Testam. illustrat. cura SIGEB. HÄVERCAMPI.* (Lugd. Batauor. C1010CCLXII. 8.)
 g) vid. *Eius ΠΑΡΑΛΛΗΛΙΣΜΟΣ Noui Foederis et POLYBII, ratione dictionis.* (Witteb. C1010CCLXXV.)
 h) in *Olfueratt. philol. criticis in Sacra Nou. Foederis libros.* (Lugd. Bat. C1010CCLIII.)
 i) in *Annotatis in Nou. Testam.* (Amstelod. C1010CCLXXXVIII.)

Equidem nihil magis in votis habendum arbitror, quam ut viro-
rum eruditorum plures praeclaris his ausis suam nauent ope-
ram, et vberrimos inde, qui ad explicanda Noui Testamenti
dicta mirifice faciant, fructus reportent.

§. VI.

*Quid in Parallelismi realis ex mente Spiritus Sancti vñ
cavendum.*

AD GREDITVR iam nostra, quae in uestigandis *τῆς*
αὐθωνίας regulis occupatur, disputatio consensum Sacrae Scri-
pturae realem, eum quidem, quem, satis iam eius generatim
spectati natura ex antecedentibus (Sect. I. §. VI.) patente, ni-
hil mihi notatu dignum fuerit obuium, *ex ipsa Spiritus Sancti*
mente talem. In quo, quem frequentius iusto (ecquis credat!)
variis abrepti erroribus in peruersa trahantur interpretes non-
nulli; praeceptis hic potissimum opus esse, statim apparet:
Principio itaque, (sic instituere scilicet conforme videtur) in Pa-
rallelismo ex mente Spiritus Sancti reali, qui vel sensu statim
grammatico, vel mystico demum talis euadit, *numquam a sensu*
verborum litterali temere recedendum est. At enim vero, quan-
do tandem licet, ex me quaerent nonnulli? Facile est ad inter-
rogata respondere. Tum scilicet non amplius innitendum sensu
grammatico est, quem praedicata, quotquot recensentur, sub-
iecto, quale primo quidem intuitu esse videtur, parum apte con-
ueniunt. Alioquin enim, dum curate minus in hoc opere versa-
tur interpretum diligentia, affectatae nimis, mysticae, (sensu, puta,
malo) nec non a scopo auctoris alienissimae interpretationes inde
proficiuntur. Elucet maxime, ut eo vtar exemplo, omnis huius
rei ratio in dicto, quod continetur Exod. XII, 46. vbi mandatum
in comedendo agno paschali seruandum: *עַזְמָ לְאַתְשְׁבָרוּ כֵּן*
עֲזֵזֶ os confringatis in illo, refertur in Nouo Testamento ad Chri-
stum Seruatorem. Ioh. XVIII, 36. Parum ille, fateor, saperet,

XII

haut leui suae in interpretando insectiae argumento edito, qui priorem locum sensu statim grammatico (quod secundo demum valet) de Messia intelligendum putaret, quippe qui omnem omnino antecedentium et consequentium nexus eo disrumpet, et plane se a scopo scriptoris aberrare haut obscure proderet.

§. VII.

Quid porro in Parallelismo ex mente Spiritus S. reali seruandum.

ALIAM mihi suppeditat Parallelismi, de quo sermo est, natura regulam. In eo vero continetur: *Nulli Sacrae Scripturae loci statim habendi sunt ex mente Spiritus S. parallelis, nisi quos uno saltu modorum indicio, quibus componere eiusmodi locos sacri scribæ instituerunt,* (iis quidem Sect. I. §. VIII. p. XXI. recensitis) *munitos deprehendamus.* Evidem perspicuum adeo hanc legem cuique facile futuram arbitror, vt vteriori non admundum indigeat expositione. Quantum autem ea valeat ad impediendum; quo minus, nimis nobis ipsis sapere vbiue gestientes, in fallas et inconsultas proclives sumus interpretationes, exinde appareat maxime, quod omnes fere, ipsius parum solliciti, in spurcis, horridis, nulloque nixis fundamento huius generis Parallelismis egregie sibi placuerint. *Suo enim ingenio seducti, typos vindique, nefcio, quo pacto, curiose extorserunt, et tantum non omnia Veteris Testamenti dicta, tamquam ad alia in Nouo referenda de Christo quodammodo exponere faciles fuerunt ad credendum.* In iis vero, quum bene multa eaque clarissima iam sacræ in litteris proflent, argumentis inquirendis anxie sollicitoque versantes, nonne eo potius Sacrae Scripturæ auctoritati plurimum derogant, et ipsam adeo diuinam religionem veritatis osoribus reddunt suspectam?

§. VIII.

Vltima huius Parallelismi regula.

IN locis itaque parallelis, qui eiusmodi esse ipso Spiritus

tus

tus Sancti indicio ita videntur, componendis quum grauiter non numquam peccent interpres, omne adhibere consilium, omniemque diligentiam, maxime necessarium duco, quum ipsorum adeo locorum Veteris Testamenti copia detur, qui Nouo in Foedere ad verbum fere, quin citato nonnumquam auctore, iterantur, et tamen, mera si excipias verba, nec grammatico sensu, nec mystico in Veteri Testamento de Christo agunt, et nihilominus tamen in Nouo ad eum relati videntur, eamque ob causam hac quidem ratione neutquam sibi inuicem constant. Quid igitur hac in re statuendum? Aneps et lubricus hic locus: attamen est, quod legis instar constitui queat. *Quoties nimirum Veteris Testamenti loci deprehenduntur, quos et scopus scriptoris, et nexus, et, vt breuibus rem expediam, omnia rei adiuncta de Messia exponere prorsus diffudent, illi vero nihilo secius a sacris Noui scriptoribus ei vindicantur; tunc quidem, si quid ego video, existimandum est, illos aut ad interpretandi rationes, quibus tum temporis addicti plurimi erant, prudenter dimisisse orationem suam, ipsosque uox' & deponov, vt ciuitate comitissime pariter ac refutasse, aut illos, quod magis fortasse placet, proprii dictorum Veteris Testamenti sensus bene gnos, sacras subinde de Christo meditationes super iis instituisse.* Quorundam vero haec disputamus? Ut caueamus, ne dicta Veteris Codicis ad unum omnia de Christo redemptore explicanda statim nobis persuadeamus, quum sacra quaedam eorum, ut ita dicam, ad illum in Nouo fit applicatio, qua quidem in re veterum perplurimos haut raro errasse, dicere non veremur. Ita e. g. Psalmum octauum omnes fere Theologi, eruditio*nis laude insignes et conspicui, non mystice solum, verum litteraliter et directe de utroque Messiae statu exposuerunt, adducti potissimum locis Epistolae ad Hebr. II, 6 - 8. et prioris ad Corinth. XV, 27. vbi Iesu haec verba tribuuntur.* At enim vero singula huius hymni contenta, verba et dicendi formulae, quin ipse adeo locus Epistolae ad Hebr. II, 6 - 8. (vbi

XIII

Paullus in eo est, vt demonstret, Iesu, tamquam homini, fratribus suis simillimo, omnia, quae in dicto modo Psalmo de *homine* generatim praedicantur, egregie conuenire) satis superque, ni totus ego fallor, testantur, Psalmum hunc vnicet *de beneficiis terrefribus homini a Deo collatis* intelligi commode et posse et debere. Firmissimis etiam argumentis, philologicae doctrinae copia plenis, omnem citra dubitationem, quidquid etiam non nemo obganniat, id comprobauit *Vir Summe Venerabilis Abbas IO. BENED. CAREZOV*, praeceptor meus mihi aeternum collendus, k) cui, vt plures hoc in negotio sui similes habeat sectatores, magnopere optamus.

§. VIII.

Quid in Parallelismo prophetico animaduertendum, docetur?

QVVM locorum Sacrae Scripturae consensum, cui *prophetici* vulgo notum indidere, ex aperto Spiritus S. indicio talis plerumque esse, iam supra (Seft. I. §. V. not. h.) monuimus, nihil, quod hic subinde praecipiatur, habemus. Supereft, vt, dum studio demum interpretum eruitur, quid agendum sit, breuibus inquiramus. *Numquam Veteris Testamenti loco, Chanc scilicet fancire legem, placet*) qui προφητείαν quamdam, sive factum olim implendum continet, alius in Nouo obutus parallelus, tamquam complementum, censendus est, quamdiu omnia prioris argumenta, adiuncta omnia et praedicata commode conueniunt factō cuidam propiori, et aptius quidem multo conueniunt, quam remotori illi in Noui Foederis loco quodam contento. Tanta fane huius regulae vis est atque potestas, vt illi sapienter accommodato studio nostro, numquam faciliores iusto, quam decebat, simus ad credendum, hoc illoue Noui Testamenti loco

k) in *Observatu. philog. super Psalmos tres* בְּנֵי־הָנָתֶת, qui sunt VIII. LXXXI. et LXXXIII. ad illustrandam interpretationem Graecam τῶν LXX. (Helmstad. 1919CCCLVI.

loco adesse vaticinii cuiusdam Veteris Codicis impletionem, quae tamen, rite consideratis omnibus, haut raro prorsus euanefecit.

§. X.

Regula ad Parallelisnum historicum pertinens.

QVAE prima in sectione (§. X. et XI.) de consensu Sacrae Scripturae *dogmatico* pariter ac *morali* differere suffinui, ea quidem ita esse comparata censeo, ut et plura illis iam iam adneſtere superuacaneus sit labor, et leges, quibus accommo-danda singula sint, rogare facili sibi quisque negotio possit. Iis itaque missis, ad eam, qui in commemorandis rebus gestis siue factis *historicis* versantur, locorum conciliationem vertitur disputatio nostra. Omnis vero huius rei quaestio sequenti fere praecepto commode absolvitur: *Non illi semper Scripturae loci, qui factum siue eventum concisa admodum brevitatem et ter quasi delibant, illustrandi et iis siue, in latiori ambitu et ex industria idem tractant argumentum, sed saepissime quoque, in uero scilicet instruti ordine, ipsa, ut ita dicam, historiae se-des eiusmodi dictis firmanda est, quae quamvis idem factum, brevius tamen multo marrant, vel unico tantum rei momento immorantur.* Longior profecto exinde redundant usus et prae-constantior, quam cui negari villo modo possit, aut dari debeat con-tentui. Fieri enim faepenumero solet, ut historiae quaedam pars omnia a sacro scriptore deprehendatur, ea quidem maxi-mē necessaria. Quae itaque rite aliunde in subsidium vocata, quantum faciat ad supplendam totam eius rei commemora-tionem, quis est, quem fugiat? Miro quodam perspicuitatis modo comprobari hoc semper mihi visum est exemplo, quod supra iam (Sect. I. §. XII.) adduxi, Ps. LXXVII, 18. 19. 20. quo insigni illi de exitu Israelitarum ex Aegypto et mirando eorum per mare transitu non parius rerum gestarum accedit cumulus. Eadem quoque ratione conspicuus huius, quam modo proposui, regulae usus est in vita Christi redemptoris eiusque rebus gestis,

quas

XVI

quas Euangelistae litteris consignatas nobis tradiderunt. Ibi enim dictis nonnullis repugnantiae vel speciem pra se ferentibus quomodo iri obuiam possit, aqua saepe, ut dicitur vulgo, haeret, nisi huius legis beneficio, adiecliffe Euangelistarum alterum, quae alter praetermisericordia silentio, admoneatur.

§. XI.

Quid in Parallelismo dictionis notandum, exponitur.

DE qua hucusque differui, *realem locorum compositionem* excipit statim *verbalis*, cuius ea princeps est, quae in *dictionibus*, et integris loquendi formulis reponitur. Ei itaque consensui ita maxime contineare reor, ut *loci*, modo in iisdem versentur dictionibus, (de synonymous enim et oppositis iam per se constat,) ex iis semper clari reddantur et perspicui, vbi *dictionis* dispicitur sensus, similis alia adneatur, aut ipsa, additis vocibus nonnullis, clarius sususque effertur, aut denique subiectum, quo cum praedicari instar cobaeret, curatius designatur. Res statim in promptu est, ad quidem, ut prolixiori superpedere commentatione merito queamus. Placet in exemplis adquiescere. Sic scilicet, ad facilius percipiendum, quid fibi velit dictio: παρακαλεῖν τινὰ 1 Cor. IIII, 12. abuia, transferendus hic locus est ad Luc. XV, 28. vbi, subiecto laudentius descripto: ὁργίσθη δὲ, καὶ ἐν θελεν εἰσελθεῖν, extra ostendit dubitationem, eam significare: *blande aliquem et humaniter adloqui*; cui loco addi subinde potest Gen. L, 21. Reptenda hic praeterea est omnis exemplorum congeries, quae *Sett.* I. §. XIII. placuit adducere.

§. XII.

Quid in vsu Parallelismi singularum vocum obtineat, explicatur.

AD componendam iam τῆς Scripturae συμφωνias, quae in singulis obtinet *vocibus*, legem eo libentius me accingo, quo grauior et praestantior eius *vitus* et est et habetur, quoque facilis

lius ipsum negotium. Eadem fere eius, quae Parallelismi dictio-
nis, est ratio. Hoc nimurum constat momento: *Ex duobus Sa-*
crae Scripturae locis, iis quidem easdem voces contineribus,
Calia enim omnia, quae hoc forte spectant, iam per se patent.)
eius potissimum habenda est ratio, in quo vocabulo, cuius vera
eruenda notio est, aut aliud quoddam ab ipso non alienum adne-
xum reperimus, aut ubi subiectum luculentius, quam quidem al-
tero in loco, studiose cuique interpreti pater. Iuuat, quidquid
huius rei est, illustrasse exemplis. Respondent sibi, si voces
שָׁמַן וְרָאשִׁיּוֹת respexeris, loci Proverb. I, 7. et Amos. VI, 6.
At quis, quaelo, priore ex posteriori potissimum explicandum
esse, ire infitias queat, quum additum subinde τῷ רָאשִׁיּוֹת sit
שָׁמַן וְמִשְׁׁוֹר, vt sit necessario vertendum: *praestantissimo un-*
gento sese vngunt, ita, vt huius dicti beneficio commodus nunc
quoque prioris loci emergat sensus, hoc modo: *verus Dei cul-*
tus (religio) est summa et praestantissima sapientia. Plura no-
sciturus haec fere accipiat: 1 Cor. II, 10. explicand. ex Rom.
XI, 33. ratione vocis: τὰ σαφῆν τε Θεοῦ, qua *arcana Dei consilia*
indicantur: 1 Cor. III, 3. — Rom. XIII, 13. respectu vocis: Σηλος,
quam ibi *liuoris vim habere*, ex ipsa componendi ratione colligi-
tur: et denique 2 Epist. ad Tim. III, 1. vbi: ἐν χρόνοις ἡμέραις
nihil aliud esse, ac *tempora sequentia et futura*, videre est ex
voce Hebraica plane parallela: בָּאוֹרִית הַיּוֹם Gen. XLVIII, 1.

§. XIII.

Regulae Parallelismi sententiарum potiores traduntur.

OMNIBVS saepenumero, quidquid in Parallelismi *con-*
structionis indolem cadit, rite, quantum fieri potuit, consideratis,
quum haut facile quidquam inuenierim, quod aut fusori egeat
disquisitione, aut regulis subinde quibusdam necessariis curatius
sit finiendum, ad ultimum iam festinat disputatio nostra argu-
mentum, id quod in regulis potissimum, quae in Parallelismo
sententiарum obtinent, formandis versatur. Quinque vero his,

C

quae

XVIII

quae subsequuntur, omnis huius loci quaestio cernitur momentis, iis quidem adeo vel ex se perspicuis, ut breuitati hic consulere maxime conueniat.

Primae quidem, leuissimae omnino, haec ratio est: *Si duobus membris ille sententiarum consensus absolvitur; ita, quantum id potest fieri, inter se inuicem sunt dispertrienda, ut singulis altero in membro vocibus, in altero singulae eiusque conuenientes, aut integris certe dictiōnibus aliae earum similes respondeant.* Sistere omne hoc institutum sequenti fere exemplo sustineo, quod prostat Psalm. fere toto XXXIII, cuius luculentiora hic exempla descriptissime sufficiat.

הָרוּ	לְתֹהוֹה	בְּכָנוֹר	v. 2.
וּמְרוּ	לַיְוָה	בְּנֶבֶל עֲשֹׂו	
בְּדִכְרָה	יְהֹוָה	שְׁמֵים	v. 6.
וּבְרוֹתָה	פָּיוֹן	כָּלְעַצְבָּם	
גַּעַשְׁוֹן			
יְוָרָאָו	מִיהֹוָה	כָּלְחָאָרֶץ	v. 8.
גַּנְוָרָו	מְמַנְּוָן	כָּלְיִשְׁבֵּי תָּבֵל	
וְהָוָא אָמָר	וְהָוָיָה		
סִיְּהָוָא צָוָה			v. 9.
וְהָוָא צָוָה			
וְעַמְדָה			
וּבָוָם			
וְהָוָה	עַצְתָּה	הַפִּיר	v. 10.
וְהָוָה	חַנִּיצָה	מְחַשְּׁבּוֹת	
מְחַשְּׁבּוֹת	לְעַזְלָם	לְעַזְלָם	v. 11.
תָּעַמְדָה	לְכוֹן	לְדוֹר וּדְרָה	

Deinde: Subiectum, aut verbum quoque, semel tantum in alteruero distichi membro occurrens, in altero iterum repetendum est. Nolumus immorari nouis exemplis, fas sit prouocare ad v. 6. 9. 10. 11. hymni modo adducti.

Porro: Quoties prius distichi membrum duplice enuntiari antecedente, posterius vero duplice constat consequente; roris ita instituenda distributio est, ut futurum cuique antecedenti consequens statim respondeat. Qua ratione adductus hunc fere in modum Pl. XXXVII, 3. digerere ausim:

כָּתָה

ברוח כוהה | שקד־ארץ

יעשה תוכן | ורעה אמונה

Tum: Omittunt saepe Hebraei pro more suo in eiusmodi disticbis verbum, in uno adquiescentes, neque tamen eo utriusque membro satis accommodato. Quod si fit, addendum praeterea aliud, quod argumento reique adiunctis maxime conueniens est. Obuium est eiusmodi exemplum Ps. CXXI, com. 6.

יום | הרשם | לאיזכיה

ובלילה | ורחל | רוח

Interdiu sol non percutiet te,

Nec noctu luna

Hic enim necessario verbum aliquod, quod lunae indoli maxime aptum sit, et visus praestringendi notione gaudeat, esse adiumentum, quis est, qui non intelligat? Pertinet quoque hic locus Hos. I. 2.

Denique: Si versus, in quo sententiaram ille Parallelismus obtinet, tribus absoluuntur membris, ita plerumque instituendum est, vs aut unum eorum inter duo reliqua simul, aut inter duas unius sectiones repartiatur. Clarum hoc euadit loco Joel. I. II. ibi enim, quum integer versus tria contineat membra, secundum illud: על־חזה ועל־שעורה על־שעורה

חבישן | אקרים | על־חזה

והוללו | כרמים | על־שעורה

כי אבר קציר שדרה


Atqui haec de regulis fatis dicta sunt, quibus instructi omnibus Parallelismorum generibus ut felici successu queamus. Quantus vero ille sit vsus, qui ex instituto hoc, tamquam ex fonte largissimo, copiose profluit, de eo quidem Sectione III. proxime, ut primum temporis ratio feret, plura.

Nostrum iam est, ut cunctis rei scholasticae **PATRONIS**
AC FAVORIBVS suauem experiendi copiam faciamus, quantopere hucusque alumnorum nostrorum mores, industria, studia que scholae nostrae institutis parallela fuerint ac conuenientia. Edent huius rei pro virili documenta Examine a. d. VIII. April. cum illis instituendo, nec non postero die exercitationibus nonnullis oratoriis, quas, exiguae industriae primitias, humanissime offerent. Declamabunt vero hoc ordine:

- IO. FRID. CHRISTOPH. MAHRENHOLZ, Halberstad. qui honestis moribus, et diligentia indefessa dudum se mihi comprobauit, *quanta historiae vis sit ad formandum hominis animum*, teutonice demonstrabit.
- IO. HENR. PREMPER, Halberstad. *de eo, quod ingenuum est et graue in ipsis animi motibus*, latina differet oratione.
- IO. CAR. PHIL. MENCKEN, Helmstad. iuuenis ab ingenio felici magnopere commendandus, *iram, sui ipsius vindicem*, latine describere tentabit.
- AVG. PAVL. CAR. EHRENPFT, IO. HENR. GE. HASPELMACHER, et IO. CAR. DAN. CVRIO, Helmstadienses, de *studio linguarum non temere negligendo*, patro sermone inuicem colloquentur. Ultimo denique loco
- IVST. HENR. IO. WAGNER, Helmstad. *laudes veris carmine teutonico canet.*

Praeclare actum esse nobiscum putabimus, quum omnes litterarum humaniorum **MAECENATES AC FAVTORES** magna sua, qua aderunt, frequentia, leuia haec studia nostra augustiora reddituri sint ac splendidiora. Quare ut festos hos murarum nostrarum dies pro ea, qua solent, humanitate, celebrare praefentes velint, enixe ab iis peto atque obsecro. Scribeb.

a. d. XXVII. Mart. A. R. S. CCCCCLXX.



99 A 6985


ULB Halle
002 823 829

3



Retro ✓





36

PROGRAMMA
DE
LOCIS SACRAE SCRIPTVRAE
PARALLELIS
SECTIO II.

QVO
EXAMEN
A. D. VIIIIL. APRIL.
IN SCHOLA SENATORIA
CVM DISCIPLINAE SVAE ALVMNIS HABENDVM

NEC NON
DECLAMATIONES QVASDAM
A. D. X. APRIL. RECITANDAS

INDICIT
VTQVE
HVNC ACTVM PRAESENTIA SVA HONORIFICA
CONDECORARE VELINT

OMNES LITTERARVM MANSVETIORVM
MAECENATES

RELIGIOSE OBSECRAT
M. GVILIELM. THEODOR. CAROL. ALBERTI
SCHOLAE SENATORIAE HELMSTADIENSIS RECTOR COENOBII
MARIAEVALL. SUBPRIOR ET SOCIETATI DVCAL. TEVTON.
HONORIS CAVSSA ADSCRIPTVS.

HELMSTADII
TYPIS MICHAELIS GUNTHERI LEVCKART.